
De Lucretii Versibus Transponendis (Latin Edition)

Kannengiesser Adolphus

Title: De Lucretii Versibus Transponendis (Latin Edition)

Author: Kannengiesser Adolphus

This is an exact replica of a book. The book reprint was manually improved by a team of professionals, as opposed to automatic/OCR processes used by some companies. However, the book may still have imperfections such as missing pages, poor pictures, errant marks, etc. that were a part of the original text. We appreciate your understanding of the imperfections which can not be improved, and hope you will enjoy reading this book.



2316

©

DE

LUCRETI VERSIBUS TRANSPONENDIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

TRADIDIT

ADOLPHUS KANNENGIESSER


HANNOVERANUS.

GOTTINGAE,

TYPIS EXPRESSIT E. A. HUTH.

MDCCCLXXVIII.

Sl 20.328



Constantius fund.

AVUNCULO CARISSIMO

CONSILIARIO RERUM MEDICARUM

A. G. WOLLRING

VERDENSI

1

2

3

4

5

6

Permagnam numerum carminis Lucretiani versuum partim scribarum errore partim primi editoris neglegentia falso loco traditum esse, non est quod moneam. Illius generis mendorum certe maxima pars cum ante Lachmannum et Bernaysium tum horum eximia opera sublata est; huius autem generis menda illi permulta corrigenda reliquerunt.

Nam ars critica in Lucretii carmine facienda propterea in summa difficultate est, quod tam varia eius menda et vitia sunt; neque enim solum textus qui dicitur scribarum neglegentia et interpolatorum vel interpolatoris industria admodum corruptus est, sed etiam carmen a Lucretio ipso imperfectum neque satis ordinatum relictum est. Itaque saepissime fit, ut, etiam si quem locum sanum non esse cognitum sit, dubitari tamen possit, cuinam generi id mendum tribuendum et quam medendi ratione utendum sit. Sed cum varia exstare menda, quae a prima editione vel ab imperfecta carminis condicione repetenda sint, cum alii tum Susemihlus et Briegerus satis certis argumentis et satis multis exemplis comprobaverint: si nexus sententiarum sanus non esse neque satis facili emendatione sanari posse videtur, maxime de versibus transponendis aut extra carminis continuitatem scriptis, secundo demum loco de interpolationibus cogitari non solum licet sed necessarium est.

Atque iam permultis locis homines docti transponendo Lucretii carmen in meliorem condicionem redegerunt. Sic — ut earum quae post editionem Bernaysianam factae vel propositae sint transpositionum nonnullas tantum afferam, quae quam maxime certae videantur — Bergkius vv. II, 1170¹⁾—1173

¹⁾ Numeris utor Bernaysianis.

post v. 1167¹⁾ et V, 170 et 171 post 176²⁾ collocandos esse recte exposuit. Non minus probo, quod Hoerschelmannus³⁾ et Bockemuellerus vv. II, 456—463 post 477 collocarunt; idem Hoerschelmannus⁴⁾ vv. II, 165—183 ante v. 141 locum suum habere recte vidit. Sturenburgus⁵⁾ et Bockemuellerus vv. I, 205—207 post 214, idem Bockemuellerus praeterea vv. III, 472 et 473 post 461⁶⁾, IV, 322—361 post 266⁷⁾, IV, 365 post 367⁸⁾, VI, 1131—1135 post 1117⁹⁾ collocavit recte. Lotzio quoque assentiendum est, quod vv. IV, 895—903 cum v. 888 coniungendos esse dicit¹⁰⁾. Praeterea non dubito, quin v. II, 644 post v. 661¹¹⁾ et II, 817—825 post 794¹²⁾ collocandos esse recte iudicaverit Briegerus. Denique Susemihlus vv. II, 973—990 post 930¹³⁾ et [III, 910—916] post 928¹⁴⁾ recte posuit.

Sed cum nonnulli homines docti in transponendis versibus minus caute egerint, innumerabilis paene numerus est versuum, quorum transpositio proposita sit. Quos si omnes tractarem, non solum huiusmodi commentationis fines longe excederem, sed etiam de multis verba facienda essent, quae accuratius tractare operae pretium omnino non est. Itaque praeter eas quas transpositiones ipse proponam nonnullos

¹⁾ Annales philol. vol. 67, pag. 319, cf. Pollium Philol. 26, 327.

²⁾ annal. philol. 67, 324; idem iudicarunt Goebelius obs. pag. 44 et Munro, iam antea Lambinus.

³⁾ obs. pag. 28; assensus est Brigerus, Bursians Jahresberichte 1876, II, 167.

⁴⁾ obs. pag. 15 assentiente Briegero l. c. pag. 184, qui ibi quoque nuncius opus esse monuit.

⁵⁾ Acta soc. philol. Lips. II, 389 assentiente Briegero l. c. pag. 167

⁶⁾ assensus est Brigerus l. c. 168.

⁷⁾ " " " " "

⁸⁾ " " " " 169.

⁹⁾ " " " " 170.

¹⁰⁾ Philol. VII, pag. 726 cf. Susemihlum; Philol. 33, 443 adn.

¹¹⁾ Philol. 25, 67 cf. Hoerschelm. obs. pag. 21.

¹²⁾ v. Philol. 25, 69 seqq.

¹³⁾ Philol. 25, 74 seqq.

¹⁴⁾ Philol. 27, 55.

tantum locos tractare liceat, quibus homines docti non recte videantur transposuisse.

His praemonitis iam ad singulos locos accedamus carminis ipsius ordinem secuti.

I, 50—61; 136—148.

De libri I. prooemio homines docti diversissimas sententias protulerunt. Ab una parte extrema stat Bockemuellerus; qui non solum vv. 102—135, quippe qui in prooemio ad Memmium misso locum non habeant et scripti sint, quo tempore Lucretius cum Memmio familiaritatem nondum inierit, a continuitate carminis seiungendos esse putat, sed etiam eius, quod ad Memmium missum sit, prooemii unam partem (vv. 50—61) transponendam esse censet. Medias partes tenent Jessenius (*Jahresbericht der Kieler Gelehrtschule* 1872, pag. 20 seqq.), Briegerus (*Philol.* 23, 456 seqq.), Stuerenburgus (*Acta soc. phil. Lipsiens.* 1874, II, 373 seqq.): qui in omnibus prooemii partibus componendis poetam ante oculos habuisse Memmium, nonnullas autem non satis apte carminis continuitati inseri posse aut transponendas esse censent. Ab altera denique parte extrema stat Vahlenius (*Monatsberichte der Berliner Acad.* 1877, pag. 479 seqq.), qui omnes prooemii partes suo ordine nobis traditas omnesque ex uno eodemque poetae consilio fluxisse evincere studuit.

Eam certe Bockemuelleri opinionem, qua vv. 102—135 ex carminis continuitate tollendos esse putat, accuratius a me refutari opus non est, cum maximam partem ex falsa eius de totius carminis condicione sententia nata sit (cf. Brieger. *Bursians Jahresberichte* 1876, II, 162). Omnes autem difficultates positae sunt cum in Memmii appellatione desiderata tum in vv. 50—61 et 136—145 collocandis. Quibus de rebus Vahlenium multa illum quidem recte ad Briegeri et Stuerenburgi sententias refutandas attulisse puto; sed nescio an interpretatione sua interdum eas quae illis offensionis fuerunt res excusaverit magis quam omnino offensionis causas non esse probaverit.

Ut primum ad vv. 136—145 me convertam, si Briegerus a v. 135 statim ad v. 146 progrediendum esse unumquemque semel admonitum videre putat, si Stuerenburgus eos parenthesis quasi loco inter vv. 135 et 146 interpositos esse dicit, Vahlenius autem eos aptissime ubi traditi sunt collocatos esse censet: vereor, ne res ad id redire videatur, de quo disputandum non esse iam veteres dixerunt. Vahlenius recte ille quidem exposuit hos vv., quibus Lucretius de difficultatibus doctrinae suae sermone latino illustrandae conqueritur, quam aptissime in fine prooemii collocari. Sed post hos vv. poetam apte ad ea quae antecedunt reverti versibus 146—148 vix cuiquam persuadebit; atque ipsi concedendum est v. 146 particulam „igitur“ alio modo usurpatam esse atque ceteris locis, quibus eidem tres vv. inveniuntur. Nonne potius expectaveris Lucretium, postquam affirmavit se quemvis laborem libenter sufferre, ut Memmii menti clara lumina praeponderet, statim ad doctrinam ipsam accessurum et Memmio clara lumina praepandendi initium facturum esse? Itaque versum 145 excipere debet v. 149. Verbum autem cuius (v. 149) ad totam versuum 143—145 sententiam referendum videtur; quod si quis minus apte fieri putet, nihil obstat, quominus id ad carmen (v. 143) referat.

Nunc si quaerimus, quid faciendum sit versibus 146—148: cum eis coniungendi sunt, quibuscum arctissime eos cohaerere Briegerus et Stuerenburgus monuerunt. Etiam ante v. 136 aptissime collocantur; naturae enim species et ratio, ex quibus Lucretii doctrina composita est, e Graiorum obscuris repertis constant. Necessarios quidem vv. 146—148 inter v. 135 et v. 136 non esse libenter concedo; itaque si quis eos a Lucretio hoc loco non scriptos, sed ab interpolatore e libro II (59—61) vel III (91—93) vel VI (39—41) iteratos et ad vv. 144 et 145 margini adscriptos esse dicet, non habeo, quo ejus sententiam refutem, nisi quod verisimile non videtur esse Lucretium non statim in carminis initio hoc totius doctrinae principium commemoraturum fuisse.

Transeo ad vv. 50—61, quos Bockemuellerus post v. 145 collocat, Briegerus et Stuerenburgus extra carminis continui-

tatem scriptos esse censent. Ac primum quidem Vahlenius, quam arcte cum eis quae aetecedunt cohaereant, recte demonstravit. Tres sunt condiciones, quas expleri poeta necessarium esse putat, ut carmen suum eam quam ipse vult utilitatem et fructum Memmio ferre possit: primum ut carmen Veneris auxilio pulchrum et lepidum fiat (vv. 1—28); deinde ut neque ipse in componendo neque amicus in legendo carmine rebus externis impediatur (29—43); denique ut Memmius attentum animum ad doctrinam suam adhibere velit (50—53). Nihil igitur usque ad versum 61 desideratur nisi Memmii appellatio, quam in versu 50 restituendam esse Vahlenius recte indicavit. Ac Bernaysii conjectura, qui pro codicum lectione:

quod superest ut vacuas auris
scribit:

quod superest vacuas auris animumque sa-
gacem
satis certis argumentis refutata Lachmannum secutus est,
qui coniecerat:

quod superest vacuas auris animumque age
Memmi.

Cogitari etiam potest scribendum esse:

quod superest, Memmi, vacuas auris animumque;
verbum enim age numquam apud Lucretium invenitur nisi in formula nunc age cf. I. 265, 921; II. 62, 333, 730; III. 417; IV. 108, 175, 267, 671, 720; VI. 495, 535, 738 et semel in verbo agedum III, 960; et quod in codd. ante vacuas legitur ut indicare videtur non solum post vacuas sed etiam ante hoc vocabulum corruptelam quaerendam esse.

Nunc si ad alteram huiusce disputationis partem nos convertimus, quomodo vv. 50—61 cum eis quae sequuntur cohereant: Briegerus in eo quidem non recte videtur offendisse, quod trium partium, quibus poeta Memmiam adhortatur (50—61, 80—101, 102—135), prima haec verbis ducitur quod superest et intercedentibus vv. 62—79 a reliquis duabus seiuncta est. Eae enim, ut ita dicam, adhortationes diversissimae sunt. Illa, qua poeta postulat, ut Memmius attento animo ad doctrinam suam audiendam accedat, iam